



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Venerabilis Arnesti, (vulgò Ernesti) Primi Archiepiscopi Pragensis

Balbín, Bohuslav

Pragæ, 1664

Notæ in Caput X.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42763

ferant, *Avenionem* judicandos, tradit *Pius Pontifex*. Sed ante id *Nicolaus Tribunus Romanorum*, qui populum Romanum adversus Pontifices concitârat, *Pragam* veniens, ab *Arnesto* convictus erroris, *Avenionem* missus est, adeoque duorum Pontificum *Innocentij VI. & Urbani V.* autoritas asserta, *Carolo Casari*, & per eum *Arnesto* debetur. Maxima certè *Caroli* in Ecclesiam merita *Raynaldus* Annalium Ecclesiasticorum post *Baronium* nobilissimus Scriptor toties deprædicat, ut omnem ei paginam *Cesar Carolus* fecisse videatur. Inter alia narrat, *Carolo* potissimum authore factum, ut *Pontifex Urbanus Avenione* relicta (quod universus Christianus orbis pridem optârat) *Romæ* sese restitueret, *Romam*, Sedem transferret; jam verò cum Pontificis autoritas ob *Vice Comitem Mediolanensem* *Romæ* laboraret, collecto exercitu *Carolus* in *Italiam* descendit, ac Sedis Apostolicæ vires firmavit. Quanquam postea A. 1370. ad repetendas Gallias idem Pontifex pessimis consilijs, ut loquitur, & deplorat *Raynaldus*, sit inductus.

Sylvius in hist.
Beh. C. 33.

Tom. XVI.
Annal. Eccles.

Notæ in Caput X.

Regnare artem difficillimam. Vide *Caussin.*
L. 1. *Aula S. Ratione* 7. Probat. id *Synesius* L. de Regno ad *Arcadium*, & *Stobæus* serm. 47. ubi etiam refert *Antigoni* verba ad vetulam, qua eum ut felicissimum salutârat.

In Imperij arcana duci. Vni Ministro cuncta committi non debere probavit *Scipio Ammiratus Politicorum Princeps*, L. 15. *Politic. Discursu*. 1. debet tamen habere aliquos magis intimos & unum etiam quem reveratur. Idem. L. 14. *Disc.* 1. Talis ob sanctitatem, scientiam, dignitatem, & autoritatem *Arnestus*. Sic *Carolus V.* Imperator uno ferè *Cardinale Granvellano* utebatur, ut *Augustus Meccenate*. Vide *Typotium* L. 1. de *Herogr.* C. 129. qui conditiones eorum Ministeriorum expendit:

Reverentia
erga aliquem
Principi ne-
cessaria.

Regibus primam Religionem esse oportere.

Religio vin-
culum Regis
& subditorum.

V 2

Id

Ad probavit omnium optimè Carolus Scribanus S. J. in Christiano-Politicis; vide etiam Justum Lipsium in Politicis: Strada id sepe inculcat Dec. 1. L. 2. de Belgij rebellionem, & L. 5. in verbis Margaritæ Austriacæ ad Comitem Egmontium. Exempla pulcherrima habes in libro antiquo Lupoldi Bebenburgij, Episcopi Bambergensis, cui titulus: de zelo veterum Principum Germaniæ.

Decretis confixi hæretici. Recitat decretum illud Caroli Cæsaris Hagecius, quo hereticos omnes in Bohemia flammis publicè jubet exuri.

Festum Reliquiarum. Celebratur die Veneris post octavam Paschæ (Hagek Anno 1349.) tanta eo die hominum ex vicinis regionibus consuebat multitudo, ut Panis Pragæ deesset. A. 1388. centum peregrinorum millia die uno Pragæ fuere numerata.

DEO studium hoc placuisse. De S. Nicolai *En ejus vita.* digito sanguinem stillante, dicam postea. S. Agnes de Monte Politiano Carolum Cæsarem sepulchrum ejus visitantem apertis subito oculis blandè intuita est, & quasi salutaret, arrisit.

Nova ab eodem VENERABILI Arnesto consilia Carolo imperan- ti data.

CAPUT XI.

Mirabuntur fortasse Lectores, cur in Arnesti vita de Carolo Casare multa narrentur; facilis enim verò defensio: utriusque gesta permixta sunt; Carolus ipse quantus est, Arnesti opus est; qui Carolum hinc omitteret, gemmam ex Corona Arnesti pulcherrimam ac pretiosissimam, aut potius ipsam